PIISSIMI ET EMINENTISSIMI VIRI, D. TOBIÆ MATTHÆI *Archiepiscopi* olim *Eboracensis*

CONCIO APOlogetica adversus Campianum.

TERTVLL.

Ethnici non credendo credunt, Hæretici credendo non credunt.

OXONIÆ.

Excudebat LEONARDVS LICHFIELD, *Impensis Ed. Forrest.*

An. Dom. 1638.

CAMPIANI

Calumnia (*Ratione Quintâ*) quam D. TOBIAS *Matthæus* hac ſuâ *Concione* depellit.

PErtentavimus familiariter aliquando Tobiam Matthæum, *qui nunc in* Concionibus *dominatur, quem propter bonas artes, & virtutum ſemina dileximus, ut reſponderet ingenuè, poſſetne qui* Patres *aſſiduus lectitaret, iſtarum eſſe partium quas ille ſuaſerat; retulit, non poſſe, ſi pariter eos legerit, eiſq; crederet.*

D. LAVRENTII *HVMPHREDI* PROFESSORIS REGII *OXONIENSIS*, Teſtimonium de iſthac *D. Matthæi* Concione; ex *Ieſuitiſſimi* Parte Secunda, *pag.* 656.

FAlſiſſimum verbum hoc eſt; neq; tunc ita reſpondit Matthæus, *neq; nunc id ſentit, cujus rei mecum teſtis eſt tota Academia; Teſtis eſt ipſius ad noſtrum Clerum* Oxoonienſem Concio Apologetica, *ex* Deuteronom. *cap.* 32. Mementote dierum antiquorum, conſidera generationes priſcorum

priſcorum ſæculorum; interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi, ſenes tuos, & dicent tibi. *In qua de* Patribus *verè, de* Iuello *honorifice, de me ſupra meritum, de* Hutteno *amiciſſimè prædicavit, de ſe ita, ut nobis omnibus ſuam innocentiam probaverit, adverſarij impudentiſſimam calumniam retuderit. Nondum enim obliviſci poſſum, quod meminiſſe me debere intellexi, quomodo illo die obſignatis tabulis cum illo amico fraudulento* Campiano *egerit, quomodo omnes circumſtantias excuſſerit,* tempus *quando,* locum *ubi,* teſtes, *quibus audientibus hæc retulerit, & ipſi curioſo percontatori ingenuè tum pro* Concione *reſpondit, de* religione, *ſe neq;* hæreticas, *neq;* ſchiſmaticas, *neq;* Pontificias *partes unquam ſuaſiſſe, ſed partes ſummi Pon-*

tificis Ieſu Chriſti *& ſuadere, & invitis dentibus, & enſibus* Papiſtarum *omnium deinceps pro virili perſuaſurum*: *de* Patribus *ſe habere unum Patrem*, Deum *Patrem*, Filium, Spiritum ſanctum, & Patriachas, & Evangaliſtas, & *quotquot horum* Patrum *germani ſunt Filij; de hoc* facto, *ſeu* dicto, *cujus meminit* Campianus, *ſe* prorſus negare. *&c. Hactenus* HVMPHREDVS.

D. WHITTAKERVS *in Reſponſ.* ad V. Rat. Campiani.

ETſi multa ſæpe in ſermone familiari dicimus, quæ narrari & manare latiùs nollemus, tamen id tibi ab Ornatiſſimo Matthæo *reſponſum eſſe datum non dubito*

quod

quod & rei veritati fuit conſentaneum, & ipſius judicio ſapientiâq; dignum.

Ex D. Godwini Commentario, de Præſulibus *Angliæ.*

Auguſti 18. *MDCVI.* Tobias Matthæus *ſacræ Theologiæ Doctor, Epiſcopus Dunelmenſis, Eboracenſis ſedis Archiepiſcopus legitima confirmatione declaratur. Quem, in civitate natum Briſtolienſi, atq; Ædis Chriſti Oxoniæ alumnum, per multos dignitatum gradus ad hoc faſtigij ſuæ virtutes extulerunt. Fuit namq; dicti Collegij primùm Præbendarius, mox Decanus, Collegij deinde Sti Johannis in eadem Academia Præſes, ac poſtremò Dunel-*

menſis Eccleſiæ Decanus: unde ad Præſulatum vocatus, conſecratus eſt menſe Martio MDXCIV. Succenſerem hic mihi, quod de virtutibus noſtri temporis Præſulum prædicandis, ſilentium mihi indixerim, veritus, ne cum cæteris omnibus malignus, tum eis, qui norunt quantum huic viro debeam, ingratus exiſtimer; niſi meis verbis laudare prohibitus, ſua mihi amiciſſimus Camdenus *ſuppeditaſſet, apud quem meritiſſimum habet hoc elogium,* Virtutum & pietatis ornamentis, eruditâ facundiâ, & docendi aſſiduitate Reverendiſſimum exiſtere. *Non licet hîc tacere, quod, quo tempore hæc ſcribimus,* Bibliothecam *publicam* Briſtoliæ *(amoris erga patriam authoramentum) librorum copiâ molitur inſtruere. Opus herelè egregium,*

um, quodq; plures utinam imitentur; cum præ librorum inopiâ, plurimi tenuioris sortis ministri, tanquam falcibus destituti, à segete Dominica demetenda sæpenumero ditineantur. Hactenus D. Godwinus.

CAMDENVS IN *Britannia*, pag. 452. Edit. 1585.

Decani Dunelmensis dignitatem nunc gerit D. Tobias Matthæus *Theologus præstantissimus, in quo cum* pietate doctrina, *cum* natura ars *certant.*

D. TOBIÆ MATTHAEI Archiepiſcopi Eboracenſis Concio Apologetica.

DEVT. cap. 32. v. 7.

Mementote dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas; Interroga Patrem tuum, & reſpondebit tibi, majores tuos & dicent tibi.

1 DABITIS mihi, ſpero, veniam, *Viri Patres, & Fratres,* ſi priuſquã ad horum verborum tractationem incubuero, cauſas vobis breviter & apertè ſignifinicavero,

vero, quæ me ad hunc locum, hoc tempore, occupandum, & ad istum contextum præcipuè deligendum justissimè commoverunt.

2. Namque sic se res habet; Homo quidam, nec indoctus, nec indisertus, (utinam autem pius, aut certè probus) superstitione *Papista*, professione *Iesuita*, jactatione *Goliah*, vobis olim de facie satis, nobis nuper de improbitate nimis notus *Edmundus Campianus*, superioribus *Cõmitijs* libellum quendam, sive *famosum*, sive *infamem*, sparsit in vulgus: haud aliter ac *inimicus homo*, dormientibus hominibus, superseminavit *zizania*, & *abijt*. Istud opusculum contextum in angulis, in tenebris divulgatum, Vobis, *Academici Doctissimi*, satis pro imperio commendavit. In quo non me solum,

solum, præter cæteros, nominatim &acriter, sed universam quoque religionem nostram generatim & gravitet perstrinxit.

3. Novum crimen, *Edmunde Campiane*, & ante hoc tempus inauditum, Nos *Bibliorum* sacrorum majestatem *violare*, genuinam *Scripturæ* sententiam pervertere, ad ipsum *Ecclesiæ* nomen *expallescere*, vetustissimorum *conciliorum* authoritatem contemnere, gravissimorum *Patrum* & *testimonia*, & firmamenta convellere; omnium temporum decursus, omnes & *historias* abjicere; doctrinam plenam *paradoxis*, plenam *sophismatis* profiteri; denique *genus omne testium*, cælestium, terrestrium, inferiorum, rerum, personarum, locorum, temporum aspernari. Quod sinè flagitium, Campian. Rat. 1. & sequ.

um, & facinus, immo scelus & sacrilegium, à nobis ita nefariè & impiè suscептum, nisi vel *rationibus* numero pluribus, vel testimoniis judicio probatissimis, vel testibus ipsis, omni exceptione majoribus comprobetur, adeoque nisi videatur, nisi palpetur, nisi manibus, digitisque teneatur, ne tum communi vestræ causæ per multum, tum propriæ tuæ existimationi, & saluti, *Campiane*, plurimum detractum esse videatur.

De reliquo libro nihil est admodum quod dicam, præsertim hoc tempore, cui non dubium est, quin illa doctissimâ & disertissimâ *Whittakeri* nostri responsione satis superq; factum sit. Cæterum, ut hominem pauliſper intactum omittam, cum in illa *Ratione*, quam *Quintam* ponit, audacter

cter & asseveranter confirmet, *Scribas & sapientes, & doctos in regno Dei*, nova promentes & vetera, *Christum* callentes & *Mosen*, nimirum *Patres* ingentis beneficii loco donatos, à vobis explodi, sibi vero, si quando licebit ad *Patres* accedere (*Pedepes, densusq; Viro vir*) confectum esse prælium præ se ferat, atque ita præ se ferat, ut ejus in hoc uno præ cæteris, licet ante victoriam, exultet & triumphet oratio: Equidem vel istâ occasione provocatus, vel isto *contextu* permotus, operæ-pretium existimavi duo dicere; *Alterum*, ut quantum *Patribus* etiam atque etiam tribuendum sit, palam & apertè fateamur; *Alterum*, ut quam illud de *Patrum* contemptu crimen, tum in omnes nostros immeritò, tum in meipsum falsò confli-

ctum

ctum sit, verè ac liberè comprobemus: Vtrumque, juvante *Christo*, vobisque faventibus, etsi non eâ, quâ soleo, brevitate succinctâ, at eâ, quâ debeo, fidelitate vel maximè demonstrabo. Quod si nihil videbitur à nobis *dictum*, quod *non sit dictum prius*, nolite, quæso, nostræ vel ignaviæ, vel insciliæ tribuere: illud potiùs cogitate, hoc eo consilio factum esse, ut intelligatis nihil in hac causa repetitum à *Campiano*, quod non à nostris hominibus jamdudum antehac & reprehensum fuerit & refutatum.

Athenienses cum consuluerunt *Apollinem* Pythium, *quas* potissimum *religiones* tenerent, editum est oraculum, *Eas*, quæ essent, in more *Majorum*: quo cum iterum venissent, *Maiorumq;* morem dixisset sæpe esse

esse mutatum, & quæsiviſſent quem morem potiſſimum ſequerentur è variis, reſpondit, *Optimum*. Autores ſunt *Zenophon* & *Cicero*. Vnde illud Poetæ, *Lex vetus optima:* & illud, *Philoſophi veteres nobis meliores, fuere, & propius Diis degentes:* Tantam ſcilicet vim eſſe *vetuſtatis* in omnem partem, ut eam qui colat, ipſam veritatem poſſidere, eam qui refugiat, nullam autoritatem habere videatur, notius eſt quàm ut vel à quoquam negari queat, vel pluribus probari conveniat. Etenim quò quid longuis abeſt ab ipſo *principio*, quod eſt ipſe *Deus*, qui eſt ipſa *veritas*, eò propius adſit *mendacio* neceſſe eſt, quod eſt ipſe *Diabolus, mendax ab initio*, & *Pater mendacii*: Qui quanquã *Serpens antiquus* alicubi nominatur, fortaſſis eó quòd ſingulis

Heſiod. Plato.

Ioh. 14. 6.
Ioh. 8. 44.
Apoc. 12. 9.

gulis hominibus longè senior & annosior existat, tamen cum unigenito *Dei filio Iesu Christo* qui propriè *antiquus dierum* à *Daniele* dicitur, est nullo modo conferendus. Hic enim *imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ*, qui *est ante omnia, & omnia per ipsum consistunt*, qui est supra omnia *Deus* benedictus in sæcula *Amen*. Hic est α & ω, *principium & finis, qui est, qui erat, qui venturus est*. Hic *in principio erat* λόγος, hunc *possidebat Iehova in initio viæ suæ*, ante omnē creaturam, ante tempus ullum. Huius *generationem quis enarrabit*? de quo dicitur, *Ego ante Luciferum genui te*.

Dan. 7. 9.

Colos. 1. 15.

Apoc. 1. 8. Ioh. 1. 1. Prov. 8. 22. Isai. 53. 8. Psal. 109. 3.

Itaque peroportune *D. Ignatius*, *Antiquitas mea Iesus Christus*. Aptissimè *D. Ambrosius*, *nos nova omnia quæ Christus non docuit, jure damnamus*,

* *Ignat. epist. ad Philadel.* ἐμοὶ ἀρχεῖα ἐστὶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς &c. *Ambros. de virginibus lib. 3.*

namus, quia fidelibus via Christus est. Si igitur Christus non docuit, quod docemus, etiam nos id detestabile judicamus. Appositissimè verò *D. Cyprianus*, ad id quod paro, *si solus*, inquit, *Christus audiendus est, non debemus attendere quid alius ante nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neq; enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.* * *Epist. 63. ad Cæcilium, pag. 177.*

Hæc omnia, *Fratres*, eò faciunt, & pertinent, non ut qualemcunque *vetustatem* perinde nobis commendent, sed potius ut *antiquitatem* (si ita loqui liceat) *antiquissimam* & *primam* intuendam nobis & interrogandam poponant. Similiter *Christus*, cum illum *divortii* morem apud *Judæos*, diutius quàm par fuit inveteratum

ratum, reformare voluit, ad ipsa incunabula rem revocavit, inquiens, *ab initio non fuit sic.* Matth. 19. 8.

Similiter *Tertullianus*, postquam incidisset in illam *Christi* parabolam quâ dicitur, *Exiit seminator ad seminandum bonum semen in agro suo, & cum dormirent homines, venit inimicus homo, & superseminavit zizania super triticum, ex ipso*, inquit, *ordine manifestatur id esse Dominicum & verum, quod est prius traditum, illud autem extraneum & falsum, quod est posterius immissum.* Ea sententia valebit adversus posteriores quasque hæreses.

Epist. 74 ad Pompeium Num. 13, & 14. edit. Goulart. Similiter *Cyprianus*, *Si ad divinæ traditionis caput, & originem revertamur, cessat omnis error humanus*, & paulo post, *si canalis*, inquit, *aquam ducens*

ducens qui copiosè prius & largitèr profluebat, subitò deficiat, nonne ad fontem pergitur, ut illic defectionis ratio noscatur, utrumne arescentibus venis, in capite unda siccaverit; an verò integra inde & plena procurrens in medio itinere destiterit? Ut si vitio interrupti aut bibuli canalis effectum est, quo minus aqua continua perseverantur ac ingiter flueret, refecto & confirmato canali ad usum atq; ad potum civitatis aqua collecta eâdem ubertate atq; integritate repræsentetur, quâ de fonte proficiscitur. Quod & nunc facere oportet Dei Sacerdotes præcepta divina servantes, ut si in aliquo nutaverit & vacillaverit veritas, ad originem Dominicam, & Evangelicam, & Apostolicam traditionem revertamur, & inde surgat actus nostri ratio,

unde

unde & ordo, & origo surrexit. Hæc *Cyprianus.*

Rupertus. Itaque *Rupertus* Abbas, in hæc ipsa *Mosis* verba quæ nunc tractemus, ita scribit, ut *Patrem, Deum* ipsum, *Majores*, ipsos *Prophetas* & *Apostolos* interpretetur,

Cap. 6. v. 16. *Jeremias* non solùm vaticinatur, sed vociferatur etiam, ut omnes exaudiant, *state super vias, & videte, & interrogate, de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & invenietis requiem animabus vestris.* Quem locum ita *Hieronymus* explicat, standum est igitur in Prophetis, & diligentissimè contemplandum, & interrogandum de semitis antiquis, sive sempiternis, quæ sit via bona in *Evangelio*, & ambulandum in ea, quæ cum inventa fuerit, præbet refrigerium animis credentium.

*Lib. 2. Com. in Ierem.

Ita

Ita *Deus* Pater, presente *spiritu*, condocefecit, *Hic est Filius meus dilectus, in quo benè mihi complacitum est, ipsum audite.* Et ipse de se, *oves meæ vocem meam audiunt:* Et ipse de Lege & Prophetis, *Mosen habent, & Prophetas, audiant illos*: Et ipse de suis, *qui vos audit, me audit, sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Matth 3. 17. Ioh. 10. 27. Luk. 16. 29. Luk. 10.

Postquam enim *ascendit in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus, quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec accurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Ephes. 4.

Quamobrem

Quamobrem huc illa Scripturarum testimonia conferenda sunt; huc illud *Deuteronom. Cap. 4. ver. 32. Interroga nunc à temporibus priscis quæ fuerunt ante te, inde usq; ab eo die quo creavit Deus hominem in terra.* Huc illud *Iobi, Cap. 8. ver. 8. Consule nunc ætat[illegible] priscam, & comparate [illegible] vestigationem maior[illegible]* Huc illud *Salomon[illegible] 22. ver. 28.* (Etsi [illegible] nuinum, quam [illegible] *ne transgrediaris [illegible] tiquos, quos pos[illegible] tui.* Huc illud den[illegible] *dis, Eccl. Cap. 8. ver. [illegible] spicias narrationem s[illegible] presbyterorum, sed in pro[illegible] is illorum versare; nam ab ipsis disces eruditionem etiam ad rectè respondendum principibus. Ne aberres à sermone senum, etenim ipsi didicerunt à*

suis

uis parentibus, quoniam ab ip-
s disces intelligentiam ad dan-
um responsum in tempore ne-
essitatis.

Quanquam ergo *religionis* *Arnob. con-*
uthoritas non est tempore a- *tra gent.*
imanda, sed numine, nec tole- *lib. 2. pag.*
e quà dia, sed quid caperis, *560.*
it intueri; neque dici
e modo, aut *quare*
entis consilium
ingenio per-
omadmodum
ustino visum
t apud Iurif-
ior est tempo-
e; & ut ille,
t, interrogatus
mum, respondit,
proximum: Ita nos
que interrogati, *Qui Pa-*
res sunt optimi, quique rogan-
di potissimum nobis, & se-
quendi sunt, respondemus,
Qui vetustissimi, *Qui Deo*

Quamobrem huc illa Scripturarum testimonia conferenda sunt; huc illud *Deuteronom.Cap.4.vir,32. Interroga nunc à temporibus priscis quæ fuerunt ante te, inde usq; ab ea die quo creavit Deus hominem in terra.* Huc illud *Iobi, Cap. 8.ver.8. Consule nunc ætatem priscam, & comparate ad pervestigationem maiorum illorũ.* Huc illud *Salomonis, Proverb. 22.ver.28.* (Etsi non tam genuinum, quam allegoricum) *ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.* Huc illud denique *Siracidis, Eccl.Cap.8.ver.9. Ne despicias narrationem sapientum presbyterorum, sed in proverbiis illorum versare; nam ab ipsis disces eruditionem etiam ad rectè respondendum principibus. Ne aberres à sermone senum, etenim ipsi didicerunt à*

suis

suis parentibus, quoniam ab ipsis discès intelligentiam ad dandum responsum in tempore necessitatis.

Quanquam ergo *religionis authoritas non est tempore æstimanda, sed numine, nec colere quâ die, sed quid caperis, convenit intueri*; neque dici debet, *quare modo*, aut *quare serò*, quia mittentis consilium non est humano ingenio perscrutabile, quemadmodum *Arnobio* & *Augustino* visum est, tamen, ut est apud Iurisconsultos, *qui prior est tempore, potior est jure*; & ut ille, quicunque fuit, interrogatus quid esset *optimum*, respondit, *quod Deo proximum:* Ita nos quoque interrogati, *Qui Patres sunt optimi*, quique rogandi potissimum nobis, & sequendi sunt, respondemus, *Qui vetustissimi, Qui Deo* *Arnob. contra gent. lib. 2. pag. 560.*

proximi. Neque enim ut veſtes quo vetuſtiores eo viliores, aut ut equi quo annoſiores, eò deteriores; ſed ut amici, quo ſunt diuturniores, eo probatiores: Ita *Patres* quo *Seniores*, eò *ſaniores*, & *Sanctiores* ſunt dicendi. Nam, *ut omnis Scriptura divinitùs eſt inſpirata*, ita *non humana voluntate allata eſt olim prophetia, ſed ſpiritu ſancto inſpirati loquuti ſunt ſancti Dei homines*, uti *Paulus*, & *Petrus* docuerunt.

2. Tim. 3. 16.
2. Pet. 1. 21.

Hactenus orationem bene longam fortaſſe, certè perneceſſariam ſumpſimus de *Deo* ipſo, qui non ſolùm ut *Pater patratus* in *Bello*, verumetiam ut *Pater patrum* in hoc negotio, *majores* noſtros per *cælos* & *terras*, per *prodigia*, per *miracula*, per *viſa* & *ſomnia* per *Vrim*, & *Thummim*, per *Angelos*,

Angelos, & homines, per *Patriarchas* ante legem, sub lege per *Prophetas*, post legem per *Deum* & hominem *Jesum Christum*, per *Evangelistas*, & *Apostolos*, neque tantum *maiores* nostros, sed etiam nos ipsos, & omnem inlequentem ætatem per *Scripturas* Veteris, Novique *Testamenti* affatus est.

His nos credimus *non fluctuantes in fide*; his nos credimus, ne rebelles in *Deum* videamur esse; his morem gerimus, ne incerti de veritate; in his dies noctesque versamur, ut securi de salute esse possimus; his *primus*, his *secundus*, his *tertius* (ut comparatè loquamur) attribuimus. Hos *dies antiquos* recordamur, has generationes singulas, vel, ut est in *Hebræo*, annos ætatis, & ætates cogitamus. *Hos Patres*

interrogamus, & de divina voluntate anunciant nobis. Hos *Maiores* appellamus, & de humano officio dicent nobis. Hi si voeant, veniendum; si fugiunt, fugiendum; discendum, si docent, si loquuntur, attendendum, si præcipiunt, obediendum, si scribunt, acquiescendum est.

Nam quod ad alios *Patres* attinet qui subsequuti sunt *Apostolos*, sive vetustiores illi fuerint & *Ecclesiastici*, à quibus non multùm defecimus; sive recentiores, & *Scholastici*, quos multò minores æstimamus, neminem quenquam nec horum, nec illorum quicquam facimus, nisi quousque *Patrum* illorum *Veteris* & *Novi Testamenti*, & *sequantur* scripta, & sensus *assequantur*. Itaque cum illis consertè & contextè cohæreant, ut non *spurii degeneres*,

neres, sed filii germani esse judicentur.

Namque si dicat *Esaias, Ad legem magis & ad testimonium quòd si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux:* Si *Sacerdotes* atque *Judices*, ad quos *Israelitæ* dubiis in rebus ablegabantur, audiendi quidem fuerunt, & quicquid illi dicerent, faciendum fuit, modo *secundum legem Domini* docerent: Si *Petrus* monuit Ecclesias *redemptas* esse *de vana sua conversatione paternæ traditionis*: Si *Paulus* jubet, *Estote imitatores mei, sicuti ego Christi*, &, *Non sum ausus loqui quicquam eorum quæ Christus non est operatus in me*; &, *Illud accepi à Domino quod & tradidi vobis*: Si *Christus* ipse *Dei* Filius, & ipse *Deus*, *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus, eradicabitur*;

Isai. 8. 20.

Deut. 17. 9. & 10.

1 Per. 1. 18.

1. Cor. 11. 1.

Rom. 15. 18.

Math. 15. 13.

tur; &, *frustra me colunt docentes doctrinas, & mandata*
Vers. 19. *hominum*, & *Sermo meus non*
Ioh. 7. 16. *est meus, sed eius qui misit me:*
Si *Deus* ipse *Pater patrum* (id enim sæpe dicendum est,) *In*
Ezech. 20. *statutis* inquit, *Patrum vestro-*
18. *rum nolite ambulare; Ego Dominus Deus vester, in statutis meis ambulate*, (reliqua quid commemorem, aut enim ista satis sunt, aut nihil est satis!) quâ nos opinione, si non natos, at factos, si non imbutos, at institutos esse convenit, nisi ut *posteriores Patres ad priores*, explicationes ad contextus, humana scripta ad divina oracula, velut ad cancellos & calculos revocemus. Sileat *mulier* in *Ecclesia* prophetante viro, conticescat *servus* loquente *Domino*, erubescat similitudo clamante certitudine; cedat *Luna* Soli, *umbra corpori*, *mortalitas*,

tas Divinitati, hominum *palea*, frumento *Dei*. Quod nisi luculentissimè confirmavero tum ipsos *Patres*, qui tantoperè nobis obtruduntur, hoc ipsum severissimè præcepisse, tum ipsos *Papistas* olim permultos, etiam hodiè nonnullos apertissimè docuisse; tum *rectam rationem* omnem, atque experientiam & necessariò, & perpetuò postulasse, equidem non recuso, quo minus omnis mihi fides in posterum abrogetur.

At *Patres* quidem, dum de *Patrum* scriptis loquuntur, aut de *suis* loquuntur, aut de *alienis*: De *suis* ita *Hieronymus*, qui in suâ ad *Nepotianum* Epistolâ, dicit se pro *ætate lusisse*, & *calentibus adhuc Rhetorum studiis atq; doctrinis, quædam scholastico more depinxisse*. Et alibi, *Rhetoricati sumus*, & *declamatorum more paulùm*

luſimus. Certè ſi quando Scripturas non interpretor, ſed liberè de meo ſenſu loquar, arguet me qui volet.

De offic. lib. 1. cap. 1. De ſuis, ita D. *Ambroſius*, ſive ſcriptis, ſive ſermonibus, *Ego raptus de tribunalibus, atq; adminiſtrationis infulis ad ſacerdotium, docere vos cæpi, quod ipſe non didici. Itaq; factum eſt, ut prius docere inciperem, quàm diſcere. Diſcendum igitur mihi ſimul, & docendum eſt, quoniam non vacavit ante diſcere.*

De *ſuis* ita *Baſilius* Magnus loquens de erroribus quos ab aliis emendari voluit, Non neſcimus, inquit, nos infinitis erroribus ſubjectos eſſe, cum homines ſimus & in carne vivamus.

Advincent. de origine Animæ. De *ſuis* ita *Auguſtinus*, Neque enim *negare audeo, ſicut* in ipſis moribus, ita *multa eſſe* in

in tam *multis meis opusculis*, quæ *iusto iudicio*, & *nullâ possunt temeritate culpari*: & rursus, Vos *autem si me talem asseritis, ut nusquam in meis scriptis errasse dicatis, non bonam causam suscepistis, frustra laboratis, facilè me ipso iudice superamini*. Et rursus, *In omnibus, literis meis non solùm pium lectorem, sed etiam liberũ correctorem desidero*. Et etiam adhuc quod penè præteriebam, *Propterea nunc libros facio, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec meipsum in omnibus me sequutum esse demonstrem*. Hæc aliaque hujusmodi *Patres* de *se*, & *suis scriptis* memoriæ prodiderunt.

Prolego. lib. 3. de Trinit.

Augustl. lib. de bono perseverant. cap. 21.

Neque verò magis rigidi in se, quam severi in alios videri voluerunt. *Iustinus Martyr*, cum objiceretur illi *Patrum*

Quæst. 110.

authoritas, occurrit, at Apostolus Pater patrum ita dicit. *Hieronymus*, si * Pico Mirandulæ credimus, *Ambrosii* commentarios in *Lucam* aspernatur, eosque *nugas* vocat. *Ambrosium* autem ipsum quandoque *corvum*, quandoque *corniculam* appellat.

In Apolog. Quæst. 7. ex Rufino.

Epist. 41.

Basilius de *Dionysio Alexandrino* inquit, Non ejus viri omnia admiramur, immò sunt quædam quæ penitus abrogamus; habent enim seminaria quædam impietatis.

Picus in Apologia septimæ quæst. In Dionysii Alexandrinæ urbis Episcopi libris, est Ariani dogmatis comprobatio lib. 2. cap. 32. contra Crescon.

* *Augustinus* de *Cypriano* sic inquit, *Ego hujus epistolæ authoritate non teneor, quia literas Cypriani non ut Canonicas habeo, sed eas ex Canonicis considero, & quod in eis divinarum Scripturarum athoritati congruit, cum laude ejus accipio, quod autem non congruit, cum pace ejus resuo.* Et

paucis

paucis interjectis, *Quapropter ita hoc Cypriani non accipio, quamvis inferior incomparabiliter Cypriano; sicut illud Apostoli Petri, quod gentes Iudaizare cogebat, nec accipio, nec facio, quamvis inferior incomparabiliter Petro.*

Neque durior aut iniquior in *Cyprianum* Augustinus videri queat, cum aliis & in alios scribat, Nec se, nec *Ambrosium*, nec *Hilarium*, nec *Vincentium* esse audiendum, sed *Dominum* in suo verbo loquentem, & dicentem, *Audi, dicit Dominus, non dicit Donatus, aut Rogatus, aut Vincentius, aut Hilarius, aut Ambrosius, aut Augustinus, sed dicit Dominus.* *Epist.* 48.

Augustino suffragatur, & verò magis indefinitè *D. Chrysostomus* cum ait, τῶν θείων λόγων ἀπίφασιν esse ἀκριβῆ ζυγὸν *Homil* 13. *in* 2. *Cor.*

a-

ἁπάντων, καὶ γνώμονα, καὶ κανόνα; &c. divinarum legum determinationem esse omniũ accuratissimam trutinam, normam & regulam; &c. *Ideo vos omnes oro & obsecro, ut relinquatis quidnam huic aut illi videatur, deq; his à Scripturis hæc omnia inquirite,* διὸ παρακαλῶ καὶ δέομαι πάντων ὑμῶν, ἀφέντες τι τῷ δεῖνι, καὶ τῷ δεῖνι δοκεῖ περὶ τούτων παρὰ τῶν γραφῶν ταῦτα ἅπαντα πυνθάνεσθε.

Contra hæres. Novat. cap. 23. & Sulpit. sever. Dial. 1. cap. 3. vid & Augustin. epist. 19. ad Hieronym.

Et quanquam *Vincentius Lirinensis* eam *Hieronymo* sententiam ascripsit, *se cum Origine errare malle, quam cum aliis vera sentire,* tamen *Hieronymus ad Tranquillinum* sic habet, *Ego Originem propter eruditionem sic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Novatum, Arnobium, Apollinarium, & nonnullos Ecclesiasticos scriptores Grecos,*

pariter

pariter & Latinos, ut bona eorum eligamus, vitemusq; contraria, iuxta Apostolum dicentem, Omnia probate, quæ bona sunt tenete.

Nec de paucis tantum, eisq; singulis, non autem de plurimis eisq; simul coactis patribus hoc putetis affirmari. Audiatur primum, si placet & vultis, S. Basilius, *Oportet Auditores in Scripturis probare ea quæ à Doctoribus dicuntur, & quæ quidem consona sunt Scripturis suscipere, quæ vero aliena rejicere, & iis qui in talibus doctrinis perseverant, vehementer adversari.*

Audiatur deinde Hieronymus, *Scio me aliter habere Apostolos, aliter reliquos tractatores; illos vera semper dicere, istos in quibusdam, ut homines aberrare.* Et alibi, *Mihi propositum est antiqua legere,* probare

In epist. ad Theophilū, contra errores Ioh. Hierosolym. pag. 188. edit. Erasm.

probare singula, tenere quæ bona sunt, & à fide Ecclesiæ Catholicæ non recedunt.

Edit. vet. epist 898. ad Fortunatianum; in aliis editionibus. epist. 111.

Audiatur deniq; unus instar multorum S. *Augustinus, Neq; quorũlibet disputationes quamvis Catholicorum & laudatorum hominum velut scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salvâ honorificentiâ, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atq; respuere, si forte invenerimus quod aliter senserint, quam veritas habet. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum.*

Epist. 112. cap. 1. ad Paulinam de videndo Deo.

Et in altera Epistola. *si divinarum Scripturarum, earum scilicet quæ Canonicæ in Ecclesia nominantur, perspicua firmatur authoritate sine ullâ dubitatione credendum est. Aliis verò testibus vel testimoniis, quibus aliquid*

aliquid credendum esse suadetur, tibi credere vel non credere liceat, quantùm meriti ea admonentem ad faciendam fidem vel habere, vel non habere perpenderis.

Quid plenius aut planius dici potuit? Quid cumulatius, aut testatius confirmari? Nimirum sic olim apud sæculum prius P*atres* de *patribus*, cùm de seipsis modestè, tum de aliis ingenuè dixisse, scripsisse, statuisse videntur: P*atres* numero plurimi, dignitate amplissimi, authoritate gravissimi, vetustate antiquissimi, pietate sanctissimi, literis & linguis florentissimi; sic ut nec aliis ipsi quicquam credere, quod prudentiæ fuit, nec sibi à quoquam credi vellent, quod fuit pietatis, nisi eatenus tantummodò, quatenus & ipsi cum aliis P*atribus Veteris & Novi Testamenti*

menti amiciſſimè conſpirarent.

A *Patribus* ad *Pontificios* veniamus. *Caietanus*, homo, ſi Diis placet, Catholicus, & *Cardinalis*, non tantum alicujus numeri, ſed magni nominis & ſupremi ordinis apud ſuos, initio *Commentariorum*, ſuper *Geneſin*, hoc jacit fundamentum, *Si quando*, inquit, *occurrerit novus ſenſus textui conſonus, quamvis à torrente Doctorum ſacrorum alienus, æquum ſe præbeat Lector ſenſorem.* Et paulò poſt, *Nullus*, ait, *deteſtetur novum ſacræ Scripturæ ſenſum, ex hoc quod diſſonat à priſcis Doctoribus; non enim alligavit Deus expoſitionem ſacrarum Scripturarum priſcorum Doctorum ſenſibus, ſed Scripturæ ipſi integræ, ſub Catholicæ Eccleſiæ cenſurâ. Aliquis ſpes nobis & poſteris tolle-*

Cajetanus.

retur

retur exponendi Scripturam ſacram, niſi transferendo, ut aiunt, de libro in quinternum.

Melchior Canus Epiſcopus Canarienſis, Ordinis Prædicatorum, ſacræ Theologiæ profeſſor, & primariæ Cathedræ in Academia Salmanticenſi olim præfectus, ille *Canus*, cui tu, *Edmunde Campiane*, ſeptem vel octo *Rationes* de tuis illis decem *Rationibus* penè, planè debes; Ille, inquã, *Canus* in hæc verba loquitur, *Quid? Quod, ut ante dicebamus, in rebus quoq; ipſis, quæ ad fidem attinent, ſancti nonnunquam erravere? A quibus ſi ne transverſum quidem unguem diſcedendum ſit, neceſſe eſt ſanè in magnos quandoq; errores, fidei etiam adverſos, incurrere.* Denique ſubjungit, *Revera ſequi maiores noſtros per omnia, & in illorum veſtigiis*

Campiani rationes ex cani libris confuti.

Canus Loc. li. 7. cap. 3. concluſ. 2. fol. 219.

Concluſ. v. fol. 223.

nos quoq; pedes nostros figere, ut pueri faciunt per lusum, nihil videtur esse aliud, quàm ingenia nostra damnare, judicio nos privare nostro, & facultate inquirendæ veritatis. Sequamur veteres, bene habet, sed ut Duces, non ut Dominos. Non enim fidei nostræ dominaturi sunt, nec illis ita debemus esse addicti & mancipati ut sacris literis exponendis nullum habeamus arbitrium. Porrò deniq; concludit, *Legentur itaq; à nobis Patres Veteres cum reverentia quidem, sed ut homines, cum delectu atq; judicio, quod si quis aliter sapit, nec sanis consiliis acquiescit, hic jam non sanctorum religione, sed sui ipsius amore capitur, & sub veterum nomine novas opiniones invehere conatur.*

Num 4. fol. 220.

Ratione sextâ.

Cano Campianus* præceptori discipulus ita succinit,

Regnet

Regnet in Anglia fides illa, utinam regnet, quam hi Patres amicissimi Scripturarum ex Scripturis extruunt: quas afferunt, afferemus; quas conferunt, conferemus; quod inferunt, inferemus.

Vtinam præstaretis aliquando quod toties promittitis! Vtinam Papistæ *scribis*, Iesuitæ *Pharisæis* non succederetis! Vtinam non eâdem sederetis in *Cathedra Mosis!* Dicitis autem non facitis. Etenim ut *Diogenes* conculcavit *fastum Platonis*, sed alio fastu: ut *Gracchus* pugnavit pro *ærario*, sed expilavit *ærarium*; ut *Herodes* simulavit *colendum Christum*, sed instituit *occidendum*; ut ipse *Iudas* accepit *panem Domini*, sed *contra Dominum*; Ita tu, tuiq; similes, *Scripturas* clamatis, sed *contra scripturas*; *Patres*, sed *contra*

Patres

Patres; quorum testimonia vel ita decerpitis ut *mancâ*, vel ita perturbatis, ut *confusa*, vel ita pervertitis ut *aliena*, vel ita alienatis ut prope nulla, vel ita horsum, illorsum, dextrorsum, sinistrosum, quòquoversum distrahitis, ut inepta & iniqua, sine lege, sine fide, sine mente, sine sententia, sine religione, sine Deo esse videantur, & rideantur.

Consequens est, ut cæteras rationes adhibeamus, quibus adducimur ut credamus & profiteamur, nos non ita totos addictos esse *Patribus* atque consecratos, ut in singula eorum verba jurati esse videamur.

Quanquam enim *Orthodoxi Doctores* magnum adjumentam attulerunt hominibus nostris, addo etiam ornamentum, dum & obscuriores illustrare

ſtrare Scripturæ locos, & ſingulos fidei articulos explicare, & plurimas doctrinæ cæleſtis partes proponere, & apparentes divinarum literarum antilogias componere, & *Eccleſiaſticam hiſtoriam* pertexere, & *Evangelij* veritatem defendere, & *hæreticorum* corruptelas atque fraudes profligare, & ad pietatem atque religionem erga Deum, ad honeſtatem atque probitatem inter homines, ab *incredulitate* ad *fidem*, à *deſperatione* ad *ſpem*, ab *immanitate* ad *charitatem*, à *ſecuritate* ad *timorem*, ab *interitu* ad *ſalutem* provocare nos, atq; inflammare ſcriptis, verbis, exemplis, omnibus modis contenderunt, (quo ſanè nomine cùm *Deo Optimo Maximo* gratias maximas agimus, tum illis authoribus permultum debemus, perquemultum tribuimus) tamen,

men, cum solus *Deus* verax sit, *omnis* autem *homo mendax*, cum prohibeamur multos vocare *Rabbi*, aut aliquem *dicere Patrem super terram*, cùm jubeamur *omnia probare, quod bonum est, tenere*; & *probare spiritus, an ex Deo sint: stare in libertate ad quam redempti & vocati sumus*, neque rursum servitutis jugo implicari: certè quidem non debemus illis per omnia assentiri, si quid *humanitùs docuerunt*, quod *divinitùs non didicerunt*, neque *veritati propter homines*, sed *hominibus* propter *veritatem* credere nos oportet. Vt cum *Samaritanis* ad *Samaritanam* dicamus, *Non amplius credimus propter sermones tuos, ipsi enim audivimus & cognovimus, quia hic est Christus ille Salvator mundi.*

Hæc illa omnium ore per-

celebrata

celebrata D. *Augustini* sententia, *Ego fateor, solis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremq; deferre, ut nullum eorum authorem scribendo aliquid errâsse firmissimè credam; Ac si aliquid in eos offendero literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quàm vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assequutum esse quod dictum est, vel me minimè intellexisse ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinâq; præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos Authores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* *Epist. 19. ad Hieronym. & libro de Natu. & grat. cap. 61. Solis Canonicis debeo sine ulla recusatione consensum.*

Denique quis nescire, nisi perindoctus quis dubitare, nisi perincredulus,

perincredulus, quis negare nisi præfractus, ullo modo poteſt, *Cornelium* à *Cypriano*, *Auguſtinum* ab *Hieronymo*, * *Chryſoſtomum* ab *Epiphanio*, à [b] *Theodorito Cyrillum*, à *Victore Polycarpum* & [c] *Irenæum*, *Græcos* à *Latinis*, [d] *Occidentales* ab *Orientalibus*, à *Patribus patres*, *paucos* à *pluribus* diſſenſiſſe, adeoque nonnunquam ipſos à ſeipſis dicordaſſe, ut eſſet perdifficile judicatu, ad quem ſe potiſſimum quis adjungeret.

Porrò, quiſquam ne *rerum Eccleſiaſticarum* tam rudis atq; inanis eſt, quin aut ipſe legerit, aut ſaltem ab aliis acceperit, certos *errores* ita certos *patres* ocupâſſe (quid ſi dicam *hæreſes*?) ut prodatur literis *Tertulliano* [e] *Montaniſmum*, *Cypriano* [f] *Rebaptiſmum*, ipſorum *dæmonum ſalutem* [g] *Origeni*, *Millenariorum*

Vid. ipſorum epiſtolas.
* *Socrat. Hiſt. Eccl. lib. 6. c. 11. & c.*
[b] *Vid. Cyrilli lib. ad Evoptium, & epiſt. Theodorit. ad Alexandrum Hieropolitan.*
[c] *Socrat. Eccl. Hiſt. l. 5. cap. 21.*
[d] *Socrat. l. 2. cap 18.*
[e] *Hieronym. in Catalog. verbo, Tertullianus.*
[f] *Vid. Cypr. ep. paſſim.*
[g] *Aug. de civ. Dei lib. 21. cap. 17.*

Millenariorũ hæresin [h] *Papiæ*, [i] *Justino Martyri*, [k] *Irenæo*, [l] *Tertulliano*, [m] *Victorino*, [n] *Lactantio*, [o] *Apollinario*, [p] *Severo*, & [q] *Nepoti*, & alia aliis infeliliciter excidisse.

Præterea, quod est etiam atque etiam observandũ, nonne *patres*, & suas, & aliorum minus rectè & dextrè explicatas sententias, nunc humanius excusare, nunc humiliùs deprecari, nunc commodiùs interpretari conantur?

Testis est [r] *Athanasius*, qui *Dionysii* Alexandrini sententiam sic tutatus est; Ἐι δὲ καιροῦ, καὶ προσώπου πρόφασις ἕλκυσεν αὐτὸν τοιαῦτα γράψαι &c. id est, *si temporis & personæ ratio eum ad talia scribenda traxit, aliasq́ postmodum epistolas subdidit, quibus se de suspitione purgat, non oportuit, omissis causis, cur*

Pag. 430. *To.* 1. *& pag.* 442. 443.

h *Euseb. lib.* 3. *cap.* 36. *& Hieron. in Papia.*
i *In dialog. cum Tryphone.*
k *Hieron. in præfat. com. lib.* 18. *in Esai.*
l *Hieronym. in Papia.*
m *Hieron. in Papia.*
n *Lib.* 7. *c.* 14. *& 24. & Hieron. ubi sup.*
o *Hieron. ubi sup.*
p *Hieron. lib.* 11. *com. in Ezech.*
q *Hieron. in Dionysio Alexand. & Euseb. l.* 7. *c.* 23.
r *In Epist de sententia Dionysii,*

ita scribendum fuit, homini temere odium conciliare; & paulò post, διὰ σαβέλλιον ἔγεγραφεν, &c. *Coactus ob Sabellij hæresin hujusmodi scripsit.*

Testis est *Basilius* Magnus; Cum enim objiceretur, *Gregorium Neocæsariensem* dixisse *Patrem* & *Filium* mentis cognitione esse duos, *Hypothesi* verò *Vnum*, ita occurrit, Hoc non dogmaticè, sed in contentione esse dictum, in disputatione contra Ælianum.

Testis est valde locuples, * *Augustinus*, Vobis Pelagianis nondum litigantibus, Securius, inquit, loquebantur *patres* de his articulis: & alibi de quodam dicto *Ambrosii*, Hoc dictum est adversus *Manichæos*, contra quos sufficiebat; & ad aliud *Ambrosii* dictum, quo probare velle videbatur exemplo *Zachariæ*, &

* *Vid. cap. 14. de prædestinat. sanct.*

& *Elizabeth*, hominem in hac vita esse posse sine peccato, sic respondet Augustinus, *Dictum hoc est, quantum mihi videtur, secundum quandam inter homines conversationem probabilem, non secundum perfectionem justitiæ. Nam* & *Paulus* dicit se esse sine querela, & tamen hanc justitiam stercoribus deputavit. *Contra Pelag. & Cæles. lib. 1. cap. 48.*

Julianus proferebat *Chrysostomi* quandam sententiam, *Infantes non habere peccata.* Intellige inquit *Augustinus*, propria peccata, & nulla erit contentio. Sed cur ipse *Chrysostomus* non addidit *propria*, inquit *Julianus*? Cur putemus, ait *Augustinus*, nisi quia disputans in Ecclesia Catholica se non aliter intelligi posse arbitratur. *Vid. Aug. lib 6 cap. 2. contra Julian.*

Igitur *Basilius* Magnus postquam *Dionysii* Alexandrini

sententiã quandam reprehendisset primò, deinde his verbis quodammodo leniviſſet *Causam arbitror non mentis malignitatem, sed quòd vehementer voluit resistere Sabellio*; hanc postremò similitudinem subjungit, Soleo igitur ipsum assimilare *arborum insitori*, qui dum *novellæ plantæ* statum incurvum vult corrigere, nimiâ attrectatione aberrat à *medio*, & in contrariam partem nimium crebrò *flectendo* peccat.

Quæ sanè *Basilii* sive similitudò, sive sententia, non in illum *Dionysium* tantummodò, sed in reliquos ferè *Doctores* cadit, qui in rebus etiam ad summam religionis pertinentibus nimium sæpè dixerunt, sæpe nimirum defecerunt, ne quandoque parum dixisse viderentur, & (proh dolor, & pudor!) in eam partem peccaverunt

runt aliquando, quæ non erat cautior. Id quod unum perfugium pernitiosum ac pestilens, cùm paratum sibi viderent omnes omnium ætatum *hæretici*, quis adeò miretur eos, postquam de Scripturis penitus desperarunt, ad quædam *patrum*, vel *obscura*, vel *contorta*, vel *conficta testimonia* frequentes quasi catervatim confluxisse?

Scribit S.* *Athanasius* Arianos videntes se nihil posse ex Scriptura pro sua *hæresi* adducere, ad *Patres* preces convertisse ὥσπερ λῃσταί τινες καὶ τὸν τρόπον ἄσεμνοι· οἳ ἐπειδὰν ἐπὶ τοῖς ἰδίοις ἐπιτηδεύμασιν ὀνειδίζωνται, τοὺς σώφρονας συνεπιθυμῶσιν ἑαυτοῖς· καταψευδόμενοι τῆς ἐκείνων σωφροσύνης· *non aliter quam prædones, ac improbi homines, qui cum de studiis suis malè audiunt, probos, modestosq; sibi socios fingunt,*

* *In epistola de sententia Dionysii Alexandrini, pag.* 428.

gunt, falsa de alterius probitate mentientes; & sicut *Iudæi* de Scriptura convicti, εἰς τὸν πατριάρχην κατέφυγον, ad *Patrem confugerunt*.

Scribit *Socrates* Historiæ Scholasticæ lib. 4 cap. 26. καὶ τῶν Ἀρειανῶν τὰ ὠριγένους βιβλία εἰς μαρτυρίαν, ὥς φοντο, τοῦ ἰδίου καλοῦντο δόγματος, *Ariani*, inquit, *Origenis libros citarunt in Testimonium, ut illi indicabant, sui dogmatis*.

Clamavit *Eutiches*, in concilio * Chalcedonensi, *Ego legi scripta Beati Cypriani, & sanctorum Patrum, & sancti Athanasii*. Et, * *Sic à progenitoribus meis accepi, & credidi; In hac fide baptizatus sum, & signatus, & usq; ad hunc diem in ea vixi, & in ea opto mori.*

° Clamavit *Dioscorus* quoque in concilio Chalcedonensi, *Ego habeo testimonia sanctorum patrum*

Ed. Steph. 1544. fol. 238. b.
* Act. 1. pag. 792.
* Concil. eodem, Act. 1. 751. vid. edit. Crab. o Act. 1. pag. 767.
Edit Rom. pag. 97.

patrum, Athanasii, Gregorii, Cyrilli; Non transgredior in aliquo: Ego cum patribus ejicior Ego horum habeo testimonia, non simpliciter, aut transsitoriè, sed in ipsorum libris.

Clamavit *Carosus* Eu ychianus, *Ego secundum expositionem trecentorum octodecim patrũ sic credo, sic baptizatus sum. Aliud quid mihi dicas, nescio.*

Clamavit* *Campianus, Curabo igitur procedant armati, atq; stipati Christo, prophetis, Apostolis, atq; omni apparatu Biblico, celeberrimi Authores, antiquissimi patres, sanctissimi viri, Dionysius, Cyprianus, Athanasius, Basilius, Nazianzenus, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, Latinusq; Gregorius.*

Ἐγὼ μετὰ τῶν πατέρων ἐκβάλλομαι, ἐγὼ συνίσταμαι τοῖς τῶν πατέρων δόγμασιν. οὐ παραβαίνω ἐν τίνι; καὶ τούτων τὰς κρήσεις, οὐκ ἁπλῶς, ἀλλ' ἐν βιβλίοις ἔχω. Concil. Chalced. Act. 4. pag. 877.

* Ratione. 6.

Tam confidenter tot *patres* unus iste *Iesuita*, eosque reluctantes, & perinvitos trahit in

ſuam, non *ſenilem* & *avitam* ſententiam, ſed *anilem* & *delyram* opinionem. Verùm enimverò nos ij non ſumus (*Patres*, & *Fratres*, omnes in *Chriſto Ieſu* chariſſimi,) certè non ſumus ij qui *Pontificiam* doctrinam *omnem* adeò novam & incredibilem, abſurdam & impiam ſtatuamus eſſe, ut neminem quenquam *patrum* cum illis ſentire arbitremur.

At ut de plurimis paucula delibem, hoc primum diſplicet, quòd *Pontificii* non tam probatæ fidei *patres*, quàm incertæ authoritatis, immò certiſſimæ ſuſpitionis Authores hinc inde conquirunt, *Abdias*, *Martiales*, *Amphilochios*, *Hippolytos*, *Leontios*, *Clementes*, *Decretales Epiſtolas*, *Apoſtolorum Canones*, qui quidem ut milites ex equo *Troiano* derepentè ſe profundunt.

Præterea

Præterea displicet, quòd quibusdam scriptoribus addunt, immutant quosdam, quibusdam adimunt, quosdam corrumpunt. Id quod in *Ignatio, Athanasio, Hieronymo, Augustino,* multisque aliis antehac, ac in *Chrysostomo* nuperrimè & impudentissimè fecerunt homines indigni veniâ, indigni vitâ.

Animadvertite diligenter quod nunc dico. Locus est apud *Chrysostomum* illustrissimus in *Opere imperfecto,* quo docetur apertissimè, postquam hæreses Ecclesiam occuparunt, nullam etiam nunc esse rationem cognoscendi quæ sit vera *Christi* Ecclesia, nisi *tantummodò per Scripturas. Antea,* inquit, *multis modis ostendebatur quæ esset Ecclesia Christi, nunc autem nullo modo cognoscitur, nisi per Scripturas.* *Homil. 49. in Matth.*

Agnoſcitis caput & calcem quaſi proram & puppim totius inter nos & *Papiſtas* controverſiæ. Huic loco prolixo & perinſigni cum omnes per terrarum orbem Pontificii jam tandem nullo modo quicquam ſe poſſe reſpondere perſpexerint, quid fecerunt? Audite, *Fratres*, & obſtupeſcite; Audite *Papiſtæ*, & erubeſcite. Quid igitur fecerunt? Nempe totum illum tractatum, verbis tam perſpicuum, rebus tam præclarum, his temporibus tam valde neceſſarium penitus amputarunt. Inſpiciatur illa poſtrema, & peſſima editio *Steelſii*, in octavo.

O factum probè, ut quem *nodum* planè *Gordium* nunquam diſſolvere potuerunt, eum nunc poſt multa tandem ſecula acuto mucrone diſcinderent, poſt undecim ætates integras,

integras, eoque amplius! Nos si tale quicquam in vita faceremus, quas isti turbas darent? quas quæstiones? quæ tormenta compararent? quas excitarent tragœdias? quæ prælia commoverent? quos aculeos? quos cœlos, quas terras, quæ maria commiscerent? quos superos & inferos, homines & Angelos, Deos & dæmones contestarentur? Iniqua sanè rerum ratio est, ubi nihil licet, at permulto iniquior, ubi licent omnia.

Quod igitur S. *Chrysostmus* olim de *pharisæis* & *Herodianis* dixit, *Christum vocant Magistrum cuius discipuli esse nolunt*, id ipsum de *pontificiis* verissimè potest confirmari provocant ad *Patres*, quorum *Filii* esse nolunt.

Porrò displicet, quòd *Patres* cum *Scripturis* consenti-

entes

entes repudiant, præter Scripturam scribentes amplectuntur. Asinum ex auriculis, aut leonem ex unguibus internoscite.

Accipe nunc Danaum insidias, & crimine ab uno

Disce omnes.

Etenim *Albertus Pighius* quantùm vilifecerit celeberrimum Ecclesiæ Doctorem Sanctum *Augustinum*, ex eo liquet, quòd verissimam ejus de *peccato Originali* sententiam vanissimè convellat. Age, * *Pighi*, calumniare, *Quòd non solùm incerta, sed & falsa sit Augustini sententia, ita mihi demonstrari posse videtur.* Perge, *Pighi*, contemnere, *Non multum me movet Augustini sententia; Mihi non placet Augustini ea de re definitio, atq; sententia.* Perge, *Pighi, triumphare, Nos omnium, non solùm adversariorum,*

* Controvers. 1. de peccato Originali, fol. 2. edit. Col. 1 545

lb fol. 22.

orum, sed etiam Catholicorum receptas in scholis coarguimus sententias. Ita grunniebat aliquando *Pighius*,

Epicuri de grege porcus! Vt moribus & naturæ nomen egregiè respondeat.

Nos etiam *Theodoretum* eruditissimum, eloquentissimumque *patrem* citare solemus, ex eoque probare, quòd dici potest luculenter, *Christum* in sacra Eucharistia, non *naturam panis*, & *vini mutasse*, sed *adjecisse gratiam naturæ*; *Symbola* verò manere in *eadem substantia*, *figurâ*, & *formâ*, sicut & prius. Dialog. 1. & 2.

Quid? Nonne *Patris* tanti authoritatem contemnere, & cõculcare ausi sunt, & profiteri bonum illum senem cum *Nestorio* Hæresiarcha fecisse; quo uno nihil dici potuit, vel odiosius, vel injuriosius. Siccine verò?

vero? Siccine, *Papistæ*, vetustissimorum *Patrum* Testimonia atq; Iudicia, uti nervos in fidibus, nunc attollitis, nunc dimittitis? Vti calculos in ratiocinijs nunc pro maximis pecuniarum summis nunc pro minimis æstimatis. Siccine *dies antiquos* meministis? Siccine *generationes* singulas cogitatis? Siccine *Patres* interrogatis, ut *annuncient* vobis? Siccine *Maiores* vestros, ut *dicant* vobis?

Postremò, ne consecter infinita, displicet vel maximè, quòd *Patrum* non *sanguinem* & *succum*, sed *nævos*, & deformitates consectari soleant; perinde ac si in *Adamo* [a] *lapsum*, [b] *ebrietatem* in *Noacho*, in [c] *Lotho incestum*, in [d] *Abrahamo* mendacium, [e] *indignationem* in *Mose*, *timiditatem* in [f] *Aarone*, [g] *homicidium* in *David*, [h] *stuprum* in *Sampsone*,

[a] Gen. 3. 17.
[b] Gen. 9. 21.
[c] Gen. 19. 33.
[d] Gen. 20. 2.
[e] Exod. 32. 19.
[f] Exod. 32.
[g] 2. Sam. 11. 17.
[h] Iudic. 16. 1.

ne, [k] *incredulitatem* in *Thoma*, [l] *persecutionem* in *Paulo*, *abnegationem* in [m] *Petro*, [n] *ambitionem stupiditatem* & [o] *fugam* in reliquis *Apostolis*, intueri potissimum & imitari velint.

Nimirum sic se res habet; Vt [p] *capræ* & *coturnices* venenis aluntur, salutares pastus refugiunt, sic omnes *Hæretici*, præsertim *Pontificii*, *Patrum* quorundam *erroribus*, & *Paparum*, suorum vitijs saginantur, à virtute abhorrent, & *glandibus*, ut *sues*, non *panibus*, ut *homines* delectantur. Eo scilcet capiuntur, quod est in vino fæx, in igne fumus, in aqua sordes, in agro sentes, in medicina venenum, in bono malum paulò quidem aliter, certè non multo, quà *Fusius* ille apud *Ciceronem*, qui cùm *Fimbriæ* concinnitatem dicendi, agendique venustatem consequi

k Ioh. 20. 25.
l Act. 2. 9. 1.
m Luk. 22. 60.
n Luk. 22. 24.
o Mark. 14. 50.
p Plin. *Hist. Natural. lib.* 10. *cap.* 72.

qui non potuit, illius latitudinem oris, & pronunciandi deformitatem sequutus est. Hæc miramur, nihil sæpius; hæc damnamus, nihil magis.

Pars Secvnda.

NVnc, ut ad *secundam* hujus Orationis *partem* accedam; Quòd *Reverendum* in *Christo Patrem*, & *Dominum*, D. *Iohannem Iuellum*, *Sarisburiensem* nuper *Episcopum*, Episcoporum, ut ita dicam, ἐπισκοποτάτον, nec non D. *Laurentium Humphredum*, & D. *Matthæum Huttonum*, nobile par Doctorum, meque adeo ipsum, *minimum*, ut dici solet, *Apostolorum*, ne cui peperciſſe videretur, ita tractavit, ita traduxit
* Rat. 5. * *Campianus*, ac si neque nos, neque nostrorum quisquam,

aut

aut versare *Patres*, aut curare soleret, quanquam ejus omnia ludibria jam satis à *Whittakero* nostro, viro scientissimo ac humanissimo refutata sunt; tamē postquam illud à nonnullis expectari, à nonnullis flagitari cognoveram, committere non potui quin ad ejus apologiam, nostram quoque defensionem adjungerem, tum conscientiæ nostræ testem, tùm innocentiæ. A nonnullis flagitari intelligo tum conscientiæ nostræ, tum innocentiæ testem, eorum æquissimæ postulationi satisfaciam.

Quamobrem, ut cum homine *obsignatis Tabulis* agam, de me sic sunt verba * *Campiani, pertentavimus etiam familiariter aliquando* Tobiam Matthæum *qui nunc in concionibus dominatur, quem propter bonas artes & virtutum semina dileximus,* * Rat. 5.

leximus, ut responderet ingenuè, posset ne qui patres assiduus lectitaret, istarum esse partium quas ille suaserat, retulit, non posse, si pariter eos legeret, iisq; crederet. Hæc ille de me.

Cum *Varius* quidam, M. *Æmylium Scaurum* pro rostris proditionis accusaret, M. *Scaurus* prodijt in concionem, dixitque *Varius ait*, M. *Æmylium Scaurum* Rempublicam prodidisse, *Marcus Æmilius* negat; utri creditis? Ad hanc vocem populus *accusationem* statim repulit. Persimiliter *Edmundus Campianus* ait *Tobiam Matthæum* uno verbo *Patres* omnes repudiâsse. Affirmat *Edmundus Campianus*, *Tobias Matthæus* negat; *utri creditis*? Non dubito quin ad hanc ipsam vocem totus hic cœtus omnem accusationem istam repulerit.

Cæterum,

Cæterum, ne quid à me prætermittatur, quod ſuffragari veritati, & aſtipulari queat; *Teſtor* Beatum illud & ſempiternum *Numen*, Patrem Omnipotentem Creatorem Cœli & Terræ; *Teſtor* Vnigenitum Dei *Filium Jeſum Chriſtum* Servatorem noſtrum omnium ſcelerum & mendaciorum vindicem, Iudicem Vivorum & Mortuorum; *Teſtor Spiritum* qui ferebatur olim ſuper Aquas, Spiritum paracletum, Spiritum veritatis, Præpotentem & Immortalem *Deum* Trinum & Vnum (quantum mens mea poteſt reſpicere ſpatium præteriti temporis inde uſque cogitando & recordando repetens;) nunquam hanc mihi vocem, aut hujuſmodi, vel dicto, vel ſcripto, vel ſerió, vel joco, vel vigilanti, vel ſomnianti excidiſſe.

Cauſa

Causa profectò jam dicta est. Veruntamen, *Fatres* mei, insequar hominem quocunq; duxerit. *Pertentavimus*; at non ut hera [a] *Iosephum* in *triclinio*, non ut [b] *Susannam* Iudices in *horto*, sed potius ut [c] *Serpens* Evam, ut *Eva Adamum* in *paradiso*, aut ut [d] *Christum* Satanas in *deserto*, aut uxor [e] *Iobum* in *sterquilinio*, aut ut [f] *Propheta* minorem in itinere pertentavit.

[a] Gen. 39. 12.
[b] Dan. 13. 20.
[c] Gen. 3. 6.
[d] Matth. 4.
[e] Iob. 2. 9.
[f] 1. King. 13.

Familiariter, inquis; diceres, *fraudulenter*. Siccine debuisti, *Campiane*? Siccine decuit, quem *familiariter pertentabas*, eum *fraudulenter* circumvenisse? Siccine tractâsse hominem oportuit? Minimè malum, *qui cum sumebas cibum, & ambulabas in domo Domini cum consensu*? Hoccine officium Academici? Quam illud vulgare, verequè dictum,

Psal. 54. 15.

Tuta,

Tuta, frequenſq; via eſt per amici fallere nomen: Ovid.

Tuta, frequenſq; licet ſit via, crimen habet.

Amice, quid prodis Filium hominis oſculo? Neque verò mihi eſt ignominia pati, quod paſſus eſt *Ieſus*, neque tibi fuit gloriæ facere quæ fecit *Iudas.* Luk. 22.

Scitè *Siracides*, *Amico & inimico noli narrare ſenſum tuum; ab inimicis tuis ſeparare, & ab amicis tuis attende.* Eccluſ. 18. 8. Cap. 6. 13. Cap. 9. 4.

Rectiſſimè verò *Ieremias*, *Unuſquiſq; à propinquo ſuo ſe cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam, quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit, & omnis amicus fradulenter incedet, & vir fratrem ſuum deridebit, & non loquetur veritatem.*

Expertus loquor, ſi quiſquam alius; at pergamus porrò. *Pertentaſti familiariter aliquando?* Quando? Effare *tempus:*

pus: *Vbi?* Designa *locum*. Quibus *audientibus?* Proferto *Testes*: qua occasione? *Circumstantias* adhibe, vel effinge *saltem*, ut soletis, aliquid, si minus *verum*, at *verisimile*.

Quem *pertentasti?* An *Homulum* aliquem, *fraterculum mendiculum, magistellum, doctorculum?* Nihil minus. An aliquem *Lutheri catulum?* Aut *ranunculum coaxantem è cavernulis* qui suâ *limulâ politulâ, elegantula*, &c? Nullo modo. Sed *Tobiam Matthæum*, insignem aliquem virum scilicet, qui nunc in Concionibus dominatur.

Camp. Rat. 1. & 4.

Habeo magnam gratiam, *Edmunde Campiane*. Non potuit majus aut amplius ipse M. *Tullius Hortensio* ipso suo tribuere, quàm *talem* in *Concionibus Dominatum*. Quem sanè *dominatum*, vel insanè potius

tius tute (si meministi probè) tanti fecisti aliquando, ut cum *Iunior*, ut vocatur, in *Comitiis* eras constitutus, quò facilius in una atque altera conciuncula dominari posses, *Iuramentum* contra *papæ Primatum*, etiam contra propriam conscientiam susciperes potiùs, quàm *oratiunculam* tuam olentem lucernam non haberes.

Ne nega verò, quod dissimulare nullo modo potes. *Testis* est *D. Iohannes Kenallus*, Legum Doctor consultissimus, fidei & veritatis plenissimus: *Testes* alii permulti Artiũ Magistri & Bacchalaurei, qui & tibi presentes astiteruut, & admirati sunt, & vicem tuam doluerunt.

Deinceps, quid, quæso, te potuit impellere? ut post aliquot annos munus *Procuratorium*

rium tam avidè, & ambitioſè peteres, ut illud ipſum contra *Papam iuramentum* denuò repeteres, & à plurimis aliis ipſe *Procurator* toto illo anno de more exigeres, niſi ut in *concionibus dominari* poſſes?

Hic ego te, Campiane, ſi verberare, aut vulnerare vellem, quibus te flagellis exciperem? quibus te gladiis, pugionibus confoderem? Sed nec mihi eſt animus, nec tibi eſt opus. Tacitis te tuis cogitationibus relinquo, quæ te vexent, exedant, conficiant, niſi fortè
1. Tim. 4. geras *conſcientiam cauteriatã*, ut qui jamdudum & à *cibis abſtinendum*, & *nuptias* prohibendas eſſe doces.

De *nobis* autem ne neſcias, nolumus, non ſolemus, nec debemus, non poſſumus, non debemus in *concionibus dominari*. Non *prædicamus nos ipſos*, ſed

sed *Iesum Christum*, nos autem *servos vestros* propter *Iesum*. Ministerium nostrum non est *dominatus*, neque *dominatus* vester est *ministerium*. 2. Cor. 4.

Vos, *Campiane*, vos *dominamini*, non solùm in *concionibus* sed etiam *conscientiis* hominum. Vos percutitis humanum genus, & in faciem ceditis: Vos imponitis manibus *Diademata*,* & *pedibus* deturbatis. Vos *servi servorum* Regna tribuitis, atque transfertis, ac si in * *fœmore* vestro scriptum esset, *Rex Regnum*, & *Dominus Dominantium*.

* D. hoc facto celestini P.P. vid. Roger. Hoveden. &c.

* Apocal. 19.

Aliter *B. Petrus*, *non dominantes in Clerum*: aliter Sanctus *Paulus*, *nos non dominamur fidei vestræ*: aliter *Christus*, *vos autem non sic*: aliter *Bernardus*, *si utrumq; similiter habere velis*, perdes utrumque aliter *S. Chrysostomus*, *quicun-*

1. Pet. 5. 3. 2. Cor. 1. 24. Mark. 10. 43. De consider. lib. 2.

Homil. 35. in opere imperfecto.

q̃ desideraverit primatum in terra, inveniet in cælo confusionem; ut jam inter servos Christi non sit de primatu certamen.

At verò dicis me propter bonas artes nescio quas à te propter virtutum semina, nescio quæ, dilectum esse. Istud qui putem? At amabas fortasse tanquam osurus, oderis tanquam amaturus. Istud qui sperem? Artes liberales ut magis vobis arriderent, quàm ars artium, non Philosophia, sed Theologia; virtutum semina vobis ut placerent magis, quam ipsarum virtutum & parens altrix, viva fides, veraque religio? Istud credam? Quid igitur illud est quòd me tam blandè & humaniter appelles?

Virgil. Æneid. lib.

Quicquid id est, timeo Danaos & dona ferentes;
Aut hæc in nostros fabricata est machina muros,

Aut

Aut aliquis latet error, equo
ne credite Teucri.

Crocodili lacrymæ. *Sermones* eorum *dulces*, ut *mel*, molles ut *oleum*, sed sunt ipsi *jacula*, sed sunt ipsi *gladij*. *Oleum peccatoris ne impinguat caput meum. Meliora enim vulnera sunt amici, quàm oscula inimici.* Certè nec mihi est ignominia pati quæ passus est *Iesus*, neque tibi est gloria facere quod fecit *Iudas*. Ps. 140. 5. Prov. 27. 6.

Verùm *pertentasti uti responderem ingenuè*. Decebat hoc *Iesuitam* fortasse, *Christianum* profectò dedecebat versute rogare, ad quod velles *ingenuè responderi*. At quid mirum? Ita circuibat olim ille *leo rugiens, quærens quem devoraret*. Ita *Scribæ, Pharisæi, Hypocritæ* circuibant *Servatorem Iesum, ut eum dolo caperent in sermone*. Ita *Patres* tui (& *Patrem* 1. Pet. 5. 8. Matth. 22.

Matth. 23. 15. *trem ſequitur ſua proles)* circuibant *mare & aridam, ut facerent unum proſelytum duplo plus filium gehennæ quàm erat ante*. Tanto ſunt *prudentiores filij hujus ſeculi in ſua generatione, quàm filii lucis ſunt in ſua*. Luk. 16. 8.

Iam tandem quid quærebas tantopere, *Campiane*, audiamus. Poſſetne qui *Patres aſſiduus lectitaret; earum eſſe partium quas ipſe ſuaſerat?* Perdificilis & obſcura quæſtio eſt in percunctando poſita, cui facilè non queat, cui ſubitò non oporteat occurri. Ego verò quid? Nonne cum *Iuriſconſulto* peto *terminum* ad *reſpondendum?* Nonne cum Poëta? *Res magna eſt, deliberandum cenſeo*. Nonne cum Philoſopho? *Dixiſſe me pæniteat aliquando, tacuiſſe nunquam.* Nonne cum *Salomone? Vidiſti homi-*

hominẽ velocem in verbis ſuis? Major ſpes eſt in ſtulto quàm in illo. Prov. 29. 20.

Ad poſtulatum ergo tuum quid tandem retuli? Homo temerarius & inconſultus. Retulit, inquis, *non poſſe, ſi eos pariter legeret, iiſq; crederet.* Horum verborum qui ſit ſenſus, quantumque juſtum ſit unumquodque videamus. Id enim, uti tu dicis, retuli, neminem qui *Patres aſſiduus lectitaret, iſtarum eſſe partium, quas ipſe ſuaſeram, ſi eos pariter legeret, iiſq; crederet.*

Primum quas *partes* dicit? Si *hæreticas*, averſamur; ſi *ſchiſmaticas*, abominamur; ſi *Donati*, id eſt, veſtri *Papæ*, refragamur; ſi *Chriſti*, id eſt, Pontificis noſtri, amplectimur. Alias *partes* neque *ſuademus*, neque facimus, neque patimur. *Vnam* credimus *Eccleſiam ſanctam*,

Catholicam, Apoſtolicam, Dilectam unam, Columbam unã, unam Arcam, unum Ovile, inconſutilem *Chriſti tunicam* unam, & *unicam*, quam qui diſcindit, utinam diſcindatur, quia nos conturbat.

Has *Partes*, vel hoc *totum* potius, quotidiè ſuademus, volente *Chriſto*, dum vivimus & valemus ſuadebimus indies magis & magis, & eodem corroborante *Chriſto, perſuadebimus*, etiam invitis *dentibus* veſtris, invitis *enſibus*, invitis *ignibus*. Etenim *ſi Deus nobis cum ſit, quis contra nos?* Rom. 8. 31.

Deinde quos *Patres* nominas? Deum *Patrem, Filium*, & *Spiritum ſanctum*. Quid ni? *Patriarchas*, & *Prophetas Veteris Teſtamenti*? Sine dubio. Et *Evangeliſtas*, & *Apoſtolos Novi Teſtamenti?* Quippe, inquis. Tum *Doctores primitivæ Eccle-*

Eccleſiæ? Procul dubio. Denique ſubſequentes illos omnes *viſibiles Eccleſiæ veſtræ* ſcriptores, & *Eccleſiaſticos* & *Scholaſticos*; totum denique gregem Pontificium, omnes & ſingulos, præter unum atque alterum *Bertramum*, aut *Berengarium*, *Huſſum*, aut *Hieronymũ pragenſem*, *Wicleſum*, *Waldenſes*, ſimileſque *quisquilias*, non *homines*. Hos *Patres* appellas? Nimirum pro *Patribus* naſcentur *filii*, ſic enim *vates* vaticinatus eſt; & in illa *viſibili* Monarchia, non alibi gentium, invenit illa *Prophetia* veritatem.

Poſtremò, tuum illud, *pariter legere*, *iiſq; credere*, quid ſonat? Quid continet? *Patres* pariter an *omnes* dicis *multitudine*, anne *totos integritate*? Eſt etenim aliquid in alterutro diſcriminis. Alterum ſi

Catholicam, Apostolicam, Dilectam unam, Columbam unã, unam Arcam, unum Ovile, inconsutilem *Christi tunicam* unam, & *unicam*, quam qui discindit, utinam discindatur, quia nos conturbat.

Has *Partes*, vel hoc *totum* potius, quotidiè suademus, volente *Christo*, dum vivimus & valemus suadebimus indies magis & magis, & eodem corroborante *Christo, persuadebimus*, etiam invitis *dentibus* vestris, invitis *ensibus*, invitis *ignibus*. Etenim *si Deus nobis* Rom. 8. 31. *cum sit, quis contra nos?*

Deinde quos *Patres* nominas? Deum *Patrem, Filium*, & *Spiritum sanctum*. Quid ni? *Patriarchas*, & *Prophetas Veteris Testamenti*? Sine dubio. Et *Evangelistas*, & *Apostolos Novi Testamenti?* Quippe, inquis. Tum *Doctores primitivæ Eccle-*

Eccleſiæ? Procul dubio. Denique ſubſequentes illos omnes *viſibiles Eccleſiæ veſtræ* ſcriptores, & *Eccleſiaſticos* & *Scholaſticos*; totum denique gregem Pontificum, omnes & ſingulos, præter unum atque alterum *Bertramum*, aut *Berengarium*, *Huſſum*, aut *Hieronymũ pragenſem*, *Wickeſum*, *Waldenſes*, ſimileſque *quiſquilias*, non *homines*. Hos *Patres* appellas? Nimirum pro *Patribus* naſcentur *filii*, ſic enim *vates* vaticinatus eſt; & in illa *viſibili* Monarchia, non alibi gentium, invenit illa *Propheta* veritatem.

Poſtremò, tuum illud, *pariter legere*, *iiſq; credere*, quid ſonat? Quid continet? *Patres* pariter an *omnes* dicis *multitudine*, anne *totes integritate*? Eſt etenim aliquid in alterutro diſcriminis. Alterum ſi

17657 Matthew. Sir T

non ſuffecerit, utrumque complectere, & cape, ne quid emolumenti aut compendii tuæ cauſæ deſit.

Benè eſt; hoc igitur tantopere exagitas, me pertentatum abs te familiariter aliquando, poſſetne qui *Patres* omnes cujuſcunque generis, aut nominis, aut numeri, aut ætatis *aſſiduus* lectitaret, *earum eſſe partium*, quas ipſe, omneſque noſtri ſuadent: me verò magis audacter, quàm prudenter tibi retuliſſe, *non poſſe*, ſi illis pariter omnibus, & ubiq; fideret. Siccine vis? planè ſic; neq; enim potes aliter. Hoccine illud eſt, quod tibi videtur tantâ admiratione, tantâ criminatione dignum? Nonne cernis *quanto conatu quantas ineptias egeris Campiane?*

Liceat mihi totidem & eiſdem planè verbis abs te petere,

re, qui omnium *Patrum* libros helluo librorum, devorasti, quod tu à me contendisti; tum (si tamen unquam contendisti) ut ingenuè, verèq; fatear, nec omnes *Patres* videram, nec unum perlegeram, ante annos nempe tredecim, aut minimũ duodecim: Quid ais, *Campiane*, potestne qui *Patres* assiduè lectitat, istarum esse partium quas tu suades? Respondeo ingenuè magis quàm ingeniosè, verè magis quàm versute! Non referes planè non posse, si eos pariter legat, ijsque credat, præsertim cum & alii ab aliis sæpenumero, & ipsi à seipsis aliquando discreparint? Libros tuos, literas tuas, lectiones tuas appello: Sobrium & vigilantem te appello. Quòd si fortè responderis, aut retuleris nihil aliud de ista mea quæstione quàm quod ego tibi de illa tua re-

17657 Matthew. Sir T.

respondi & retuli, ne tu respondebis & referes aliud quàm quod quisquam unquam vel vetustorum, vel recentium, vel sermone vel scripto, vel responderit hactenus, vel posthac referet, præter teipsum, præter te unum.

Non tibi debes tanti esse, aut videri, *Campiane*, ut te unum & universæ Antiquitati, & toti posteritati anteponas. Sin anteposueris, subverendum nobis erit, & tibi expectandum, ut qui te maximi, plurimique facis, ab aliis minimi, nihiliq; fias. Monet enim hoc irrevocabile Dei decretum, *quisquis exaltat, humiliabitur*. Ne dicas posthac tibi non prædictum, cave. Sin secus, *parato tibi scalam, & in cœlum solus ascendito.*

Luk. 14. 11.

Cæterum, quid ego tam indignè, tamque ægrè feram hanc

hanc tantam atrocem calumniam? *Si hoc fiat in viridi, quid fiet in arido?* Tu, *Campiane*, *Lutherum*, *Zelo*, *Zuinglium* candore, *Erasmum* diligentiâ, *Martyrem* doctrinâ, *Bucerum* gravitate, *Oecolampadium* spiritu, *Melanchthonem* literis, *Calvinum* judicio, *Beza* ingenio, *Brentium* eloquentiâ, *Illyricum* & *Magdeburgenses* lectione & fidelitate, hos ipsos, alioſque propè infinitos, eruditione, ac pietate abundantes viros, exquisitis & inauditis convitijs onerâsti. Luk. 23. 31.

Tu D. IOHANNEM IVSTVM, virum innocentissimum doctissimum inscitiæ, optimum improbitatis, modestissimum impudentiæ accusâsti. Beatus es, *Præsul Amplissime*, qui *persequutionem pateris, etiam mortuus, propter justitiam*, qui probro & mendaciis Rat. 5. D. Iustus.

affice-

afficeris propter *Christum*, propter veritatem; *Merces tua copiosa est in cœlis, sic enim persecuti sunt Prophetas antè te.*

Matth. 5. v. 12.

Ego tua, *Iuelle*, duo triave volumina pluris quàm infinita Pontificiorum plaustra librorum facio. Ego te, *Iuelle*, à quo ipse munere ministerii ornatus & nomine filii donatus sum dum vixero, benevolentiâ colam, & observantiâ, & memoriâ sempiternâ: Cumque migravero ex his terris, & in cœlum subvolavero, suppliciſſimè à DEO OPTIMO MAXIMO contendam, & ut hæc animula peccatis, saucia, cum sanctiſſima IVELLII anima conjunctiſſima esse possit; & quod summè cupio, summè quoque sperare jucundum est. *Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima nostra*

stra his similia. Num. 23. 10.

De *D. Laurentio Humfredo*, quem *alterum* penè *Iuellum* existimare soleo, quid opus est dicere? Bone Deus, quã *ille* abs te *Campiane*, & à tuis superbè, improbè injuriosè acceptus est? D. *Humfredũ* nihil habere, *nec habiturum cum Patribus commercii.* Credat hoc quisquam? Monstri simile. D. Humphredus. Campian. Rat. 5.

Vos, vos appello, Doctissimi viri, Lectissimi Theologi, unquamne quisquam fuit aut frequentior in scriptis *Patrũ*, aut in dictis crebrior, aut in argumentis densior, ac spissior quàm *Prælector*, Moderator, & *Pater* quodammodo *Humfredus* extitit? Ne diutius vivam, nisi planè putem *D. Humfredum* plures *Patres* legisse, quàm *Campianus* viderit, *Humfredum* plures *devorâsse*, quàm *Campianus gustaverit*, *Hum-*

17657
Matthew, Sir T.

Humphredum plura in hac Academia *docuisse*, quàm *Campianus* usquam terrarum *vel didicerit, vel audiverit*. Enimverò nè non *Hector Achillem*, vel *Ulysses Ajacem*, sed *Dares Entellum*, *hinnulus leonem* adoritur, cum *Edmundus Eurontium*, *Campianum Humphredum* aggreditur. Quem ego unum *Christianum Herculem*, non duobus tantùm, tibi & socio, sed toti vestræ *societati*, Synagogæ Romanensi & Rhemensi, legendo, scribendo, disputando ausim evocare atque opponere, vel hujus ipsius capitis, & vitæ periculo.

* *Parsonio.*

Vtinio nunc tandem ad D. MATTHÆVM HVTTONVM, *Decanum Eboracensem*, quem *nominatum in paucis versare*

D. Huttonus.

* *Patres* dicis, qualem & quantum virum? Quâ doctione, doctrinâ, prudentiâ, constantiâ, pietate

* *Campian. Rat. 5.*

pietate Theologum?

Memini, cum *Elizabetha* noſtra, poſt homines natos ſanctiſſima, ſerentiſſima, doctiſſima, mitiſſima *Regina Virgo Cantabrigienſem* Academiam animi cauſâ inviſeret: Memini inquam, cum HVTTONVS ille pro *Majeſtate ſacrarum Scripturarum* ſupra *Eccleſiæ autoritatem*, pro *magiſtratuum* dignitate atque *principatu* contra *Pontificiam* tyrannydem atque *primatum* diſputando peroraret, cum non tantum clariſſimis divinæ *Scripturæ* vocibus acerrimè, verum etiam apertiſſimis *Patrum* & *Conciliorum* teſtimoniis fortiſſimè pugnaret, ſicut ejus & *Ratio*, & *Oratio* maximo adverſariorum ſtupore, ſummo ſuorum applauſu, ſingulari *Reginæ* approbatione incredibili omnium admiratione exciperetur.

Memini

17657 Matthew, Sir T.

D. Huttoni Concio.

Memini legisse me non ità dudum quandam illius *concionem* gravissimam, in qua permultas, easque gravissimas & præcipuas *Religionis* controversias ex ipsissimis *Patribus* ita constituit & composuit, ut *Patres* contra *Papistas* à nobis esse, nobiscum stare, pro nobis facere, dicere, scribere luculentissimè demonstret. Quâ vel unâ *concione* plures, credo, germanos in fide filios genuit D. HUTTONUS quàm suæ sectæ condiscipulos aut unquam habuit, aut habebit, spero, *Campianus*.

Rom. 14. 4

Quem sanè *Jesuitam* non id mihi sumo ut judicem, cum sit servus alterius; *Domino* enim *suo stat* vel *cadit*. Iudicet *Salomon, labia insipientis præcipitabunt eum; Initium verborum ejus stultitia, & novissimum oris illius error pessimus.*

Eccl. 10. 12, 13.

Iudicet

Iudicet *Ezechiel*, *qui calumniatus est, & vim fecit fratri suo, ecce mortuus est in infirmitate sua.* Iudicet Apostolus, *qui detrahit fratri, aut fratrem judicat, detrahit legi & iudicat legem.* Iudicet *Angelus* de cœlo, *foris erunt canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnis qui amat, & facit mendacium.* Denique judicet non *humana dies*, sed ipse *Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuiq; à Deo. Non enim qui seipsum commendat, laudabilis est, sed quem Dominus commendat.* Ezech. Iacob. 4. 11. Apoc. 22. 15. 1. Cor. 4. 5. 2. Cor. 10. 18.

Accepistis tandem aliquando, *viri*, *Patres*, & *Fratres*, nostram & *sententiam*, & *Apologiam* de *lectione Patrum*, quarum alteram vobis *proba-*

ri,

17657 Matthew, Sir T.

ri alterã vobis *probabilem* vi-
deri, non diffidimus, utramque
veram atque *sinceram* esse cer-
tè scimus. *Hæc est fides & con-*
fessio Catholica, quam Apos-
toli tradiderunt, Martyres ro-
boraverunt, & fidelei nunc usq;
custodiunt, ut *Vigilius* contra
Eutychem affirmavit.

Lib. 4. circa medium.

Quæ cum ita sint, satagite
quod agitis; *scrutamini Scriptu-*
ras haurite *aquas cum gaudio*
de fontibus salvatoris; *in lege*
Domini meditamini die & no-
cte; Sacrarum literarũ autorita-
tem, certitudinem, plenitudi-
nẽ, perspicuitatem conservate,
studete non literis tantùm &
apicibus sed ipsis etiã sensibus
scripturarum, & ad piam atque
propriam earum sententiam
collatione locorum, conside-
ratione circumstantiarum *a-*
nalogiæ fidei & symboli, de-
nique quotidianâ invocatione
divini

divini *Spiritus* pertingite.

Nolite, *Fratres*, ad* *Ecclesiæ nomen expallescere:* Illud potiùs videte, ne nomen *Ecclesiæ* vobis imponat. *Synagogam* ab *Ecclesiâ, generalem à particulari, visibilem* ab *invisibili, militantem à triumphante*, scitè & prudentèr distinguite.

Consilia magni facite, non *impiorum*, aut *malignantium*, sed *priora posterioribus*, melioratra pluribus, *Oecumenica* provincialibus, *Imperatoria* Pontificiis anteferte.

Legite *Patres*, quod facitis, quodque debetis, perlegite, relegite, non numerantes nomina, sed judicia percontantes. Vtque monet præclarè *Vincentius Lirinensis, quicquid vel omnes, vel plures, uno eodemq; sensu frequenter manifestè, perseveranter, velut quodam consentiente sibi Magistro consilio, accipien-*

* Campian. Rat. Concilia: Patres. Contra hæreses cap. 39. & cap. 4. *Quicquid non unus, aut duo tantum, sed omnes pariter, uno eodemq; consensu, apertè, frequenter, perseveranter, tenuisse, scripsisse docuisse cognoverit, id sibi quoq; intelligat absq; ulla dubitatione credendum.*

Matthew, Sir T. 17657

accipiendo, tenendo tradendo, firmaverint, id pro indubitato, certo, ratoq́; habeatur.

Firmamenta Patrum. *Firmamenta Patrum* ne diruite, stabilite potius; sed *firma* ab *infirmis*, *perpetua* à *temporariis*, *vera* à *falsis* atque *fictis* secernite.

Historia. *Historias* omnes persequimini, evolvite *Annales monimenta* gentium replicate, *momenta* temporum perquirite, sed germanis, non suppositititis, claris, non *obscuris*, divinis, non humanis, religiosis, non illis ridiculis fidem adjungite.

Paradoxa. *Paradoxa* fugite *cane* pejus & *angue*, & ut *Papistis* peculiaria relinquite; utque *falsum* à *falso* dissentire, sic *verum* semper cum *vero* consentire existimate.

Sophismata *Sophismata*, tendicula, & technas omnes veluti *locustas* ex abyssi profundo prorumpentes

pentes deteſtemini. *Diſperdat Dominus omnia labia doloſa, & linguam magniloquam.* Pſal. 12. 3.
Quid Academiæ & Eccleſiæ? Quid hæreticis & Chriſtianis? Noſtra inſtitutio de porticu Salomonis eſt, qui & ipſe tradiderat; Dominum in ſimplicitate cordis eſſe quærendũ. Viderint qui Stoicum, & Platonicum, & Dialecticum Chriſtianiſmum protulerunt. Nobis, curioſitate non opus eſt poſt Chriſtum Ieſum, nec inquiſitione poſt Evangelium. Cum credimus, nihil deſideramus ultrà credere. Hoc enim priùs credimus, non eſſe quod ultrà credere debeamus.

Quid enim *Athenis* & *Hieroſolymis*? Dialecticam à *Sophiſtica*, cautionem á verſutia, *locos* ab *elenchis*, argumentationes à *captionibus* internoſcite. Tertull.

Genus

17657
Matthew, Sir T.

Omne genus testium; Camp. Rat.

Genus omne testium, veterum, recentium, præsentium, summorum, infimorum, mediorum vestigate, & ut *Campianus* in gratiam *Gregorii Decimi Tertii*, ita vos in gloriam *Domini*, resomnes & *reculas* comparate.

State in fide viriliter; agite & confirmamini; nolite sive citò, sive serò, transferri in *aliud Evangelium*, quod non est *aliud*, nisi quod aliqui conantur *subvertere* vos, & *avertere* ab Evangelio *Christi*. Siccine *stulti estis*, & *cum Spiritu caperitis*, *nunc carne consummemini?* Mementote etiam atque etiam *uxoris Lot*; attendite *à falsis Prophetis*, qui *veniunt ad vos in vestimentis ovium*, *intus autem sunt lupi*, *rapaces*, graves lupi, *non parcentes gregi*. Æmulor vos æmulatione Dei, despondi vos uni

Galat. 1.

Galat. 3. 3.

Luk. 17. 32.

Act. 20. 28.

uni viro, virginem castam exhibere *Christo*. Metuo autem, ne sicut *Serpens Evam* seduxit calliditate suâ, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate quæ est in *Christo Iesu*.

Quare vos ego, per *Deum* Patrem Patrum, per *Christum Fratrem* primogenitum, per sanctam *Matrem Ecclesiam*, per *Evangelicam veritatem*, per dulcissima *Sacramenta*, per *intimam unctionem*, divini *spiritus*, per electionem, vocationem, justificationem; glorificationem vestram simul & nostram, per *coronam immarcessibilem*, per illud *regnum paratum vobis ante constitutionem mundi*, per omnia *sacra*, & *sacro sancta* mysteria *Christianæ Religionis*, denique per omnia quæ *oculi non vident, aures non audiunt, nec in cor hominis intrarunt*

17657 Matthew, Sir T.

intrarunt, quæ Dominus præparavit diligentibus se; Vos, inquã, oro, & obtestor, *Fratres*, mementote *dierum antiquorum*, cogitate *generationes* singulas, *interrogate Patres vestros*, & *annuntiabunt vobis*, majores vestros, & *dicent vobis*; *Pacem* dicent *à Deo* Patre, salutem annuntiabunt *à Jesu Christo*, cui cum *Paracleto* sanctissimo *Spiritu* sit omnis honos & gloria in perpetuum.

FINIS.

17657

Matthew, Sir T.